

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Navfragivm. Antionivs, Adolphvs

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

musicum, & (g) scapham scapham. PSEV. O hominem iuris Cæsarii rudem! An licet intendere actionem furti ei, qui suppressit depositum, aut qui abiurat mutuum, aut simili technâ imposuit? PHIL. Oportuit. PSEV. Proinde vide prudentiam artificum. Ex his plus est lucri, aut certe tantundem, & minus est periculi. PHIL. Male sit tibi cum tuis technis ac mendaciis. Non enim libet dicere, Vale. PSEV. Tu ringere cum tua pannosa veritate. Ego interim suaviter agam cum meis furtis ac mendaciis, dextro(h) Vlyse ac Mercurio.

† Pseudocheus futor mendaciorum. Philetymus amans veritatis. (a) Proverbium, Qui mendax idem & furax. (b) Alludit ad Vespasiani dictum: Lucri bonus est odor ex re qualibet. Nam is vestigal collegit ex lotio, re malè olente, at non malè olebat pecunia. (c) Specimen, id est, gustum sive exemplum. (d) Extrema ancora, id est, supremum refugium, vide proverbium de sacra ancora. (e) Nomen hic titulus est debiti, unde & pro debitoribus accipiuntur nomina. (f) Vide proverbium: Fumos vendere. (g) Græca vox ambigua est: sed opinor meliùs verti per ligonem à *γλίσσας* quod est fodio. (h) Vlysses ab Homero fingitur vafer & mendax. Mercurius affert lucrum, vafer quoque ipse, ac furax.

NAVFRAGIVM. Colloq. Helv.
ANTONIVS, ADOLPHVS. p. 397.

ANTO. Horrenda (a) narras. Est istud navigare? Prohibeat Deus, ne mihi quicquam unquam tale veniat in mentem. ADOL. Imò quod hactenus commemoravi, lusus merus est præ his quæ nunc

nunc audies. ANTO. Plus satis malorum audivi: inhorresco, te memorante, quasi ipsa periculo inter-
sim. ADOL. Imò mihi iucundi sunt acti labores. Eâ nocte quiddam accidit, quod magna ex parte spem salutis ademit nauclero. ANTO. Quid obsecro? ADOL. Nox erat (b) sublustris, & in summo malo stabat quidam è nautis in galea (sic enim vocant opinor) circumspectans, si quam terram videret: huic coepit assistere sphaera quaedam ignea: id nautis tristissimum ostentum est, si quando solitarius ignis est; foelix, cum gemini. Hos vetustas credidit (c) Castorem & Pollucem. ANTO. Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil? ADOL. Sic visum est poëtis. Nauclerus, qui clavo affidebat, Socie, inquit, (nam eo nomine se mutuo compellant nautae) vidésne, quod sodalitium tibi claudat latus? Video, respondit ille, & precor ut sit felix. Mox globus igneus delapsus per funes devolvit sese usque ad nauclerum. ANTO. Num ille exanimatus est metu? ADOL. Nautae adsueverunt monstris. Ibi paulisper commoratus, volvit se per margines totius navis, inde per medios (d) furos dilapsus evanuit. Sub meridiem coepit magis ac magis in crudefcere tempestas. Vidi sine unquam Alpes? ANTO. Vidi. ADOL. Illi montes (e) verrucæ sunt, si conferantur ad undas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere: quoties dimittebamur, videbamur debiscere terrâ rectâ ire in tartara. ANTO. O insanos, qui se credunt mari! ~~Ux~~ nautis frustra lu-
elanti-

stantibus cum tempestate, tandem nauclerus totus
 pallens nos adiit. ANTO. Is pallor presagit ali-
 quod magnum malum. ADOL. Amici, inquit,
 desii esse dominus navis meae: vicere venti: reli-
 quum est, ut spem nostram collocemus in Deo, &
 quisque separet ad extrema. ANTO. O verè (f)
 Scythicam concionem! ADOL. In primis au-
 tem inquit, exoneranda est navis. Sic iubet (g) ne-
 cessitas, durum telum: praestat consulere vita, dispen-
 dior rerum, quam simul cum reb. interire. Persuasit
 veritas: projecta sunt in mare plurima vasa plena
 preciosis mercibus. ANTON. Hoc erat verè iactu-
 ram facere. ADOL. Aderat Italus quidam, qui
 legatum egerat apud regem Scotiae. Huic erat scri-
 nium plenum vasis argenteis, annulis, panno ac ve-
 stimentis sericis. ANTO. Is nolebat (h) decidere
 cum mari? ADOL. Non: sed cupiebat perire cum
 (i) amicis opibus suis, aut simul cum illis servari. I-
 taque refragabatur. ANTON. Quid nauclerus?
 ADOL. Per nos, inquit, liceret tibi cum tuis perire
 solum, sed equum non est, ut nos omnes tui scrinii
 causa periclitemur: alioqui te unà cum scrinio dabi-
 mus in mare precipitem. ANTO. Orationem ve-
 rè (k) nauticam! ADOL. Sic Italus quòque iactu-
 ram fecit, multa mala precans & superis & inferis,
 quòd suam vitam elemento tam barbaro credi-
 disse. ANTON. Agnosco vocem (l) Italicam.
 ADOL. Paulò post venti nihilo mitiores facti no-
 stris muneribus, rupere funes, dissecere vela.
 ANTON. O (m) calamitatem! ADOL. Ibirur-
 sus

sus nos adit navita. ANTON. Concionaturus?
ADOL. Salutat. Amici, inquit, tempus portatur,
ut unusquisq³ Deo se commendet, ac mori se prepa-
ret. Rogatus a quibusdam nautica rei non imperi-
tis, ad quot horas crederet se posse tueri navem: ne-
gavit se posse polliceri quicquam, sed ultra tres ho-
ras non posse. ANTON. Hæc concio durior etiam
erat priore. ADOL. Hæc ubi locutus est, iubet in-
cidi funes omnes, ac malum usque ad thecam, cui in-
feritur, incidi ferrâ, ac simul cum antennis devolvi
in mare. ANTON. Cur hoc? ADOL. Quoniam
sublato ac lacero velo, erat oneri, non usui: tota spes
erat in clavo. ANTON. Quid interea vectores?
ADOL. Ibi vidisses miseram rerum faciem: nau-
te canentes, Salve regina, implorabant matrem
virginem, appellantes eam stellam maris, reginam
cœli, dominam mundi, portum salutis, aliisque
multis titulis illi blandientes, quos nusquam il-
li tribuunt sacra literæ. ANTON. Quid illi
eum mari, quæ nunquam opinor, navigavit?
ADOL. Olim Venus agebat curam nautarum,
quia nata credebatur ex mari: ea quoniam desit
curare, suffecta est huic matri non virgini virgo
mater. ANTON. Ludis. ADOL. Nonnulli
procumbentes in tabulas adorabant mare, quic-
quid erat (n)olei effundentes in undas, non aliter il-
li blandientes, quam solemus irato principi. ANT.
Quid aiebant? ADOL. O clementissimum mari,
ô generosissimum mare, ô ditissimum mare, ô formo-
sissimum mare! mitesce, serva. Huiusmodi multa

occine-

occinebant surdo mari. ANTON. Ridicula superstitio. Quid alij? ADOL. Quidam nihil aliud quam vomebant, plerique vota nuncupabant. Ad erat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos Virginis Vualsamgamica, si vivus attigisset terram. Alii multa promittebant ligno crucis, quod esset in tali loco: alij rursum, quod esset in tali loco. Idem factum est de Maria virgine, quæ regnat in multis locis: & putant votum irritum, nisi locum exprimas. ANTON. Ridiculum, quasi divi non habitent in colis. ADOL. Erant, qui se promitterent fore Carthusianos. Erat unus, qui polliceretur se aditurum D. Iacobum, qui habitet Compostelle nudis pedibus & capite, corporatum loricâ ferreâ tectò, adhuc cibo emendicato. ANTON. Nemo meminit Christophori? ADOL. Unum audi vi non sine risu, qui clarâ voce, ne non exaudiretur, polliceretur Christophoro, qui est Lutetie in summo templo, mons verius, quam statua, cererum tantum, quantus esset ipse. Hæc cum vociferans quantum poterat, identidem inculcaret, qui fortè proximus assistebat illi notus, cubito tetigit eum, ac submonuit: Vide quid pollicearis: etiam si cererum omnium tuarum (o) auctionem facias, non fueris solvendo. Tum ille voce iam pressiore, ne videlicet exaudiret Christophorus: Tace, inquit, fatue: an credis me ex animi sententia loqui? Si semel contigero terram: non daturus sum illi candelam sebacem. ANTO. O crassum ingenium! suspicor fuisse (p) Batavum. ADOL. Non: sed erat Zelandus. ANTON. Miror nulli

nulli in mentem venisse Paulum Apostolum, qui ipse
 olim navigavit, & fractâ navi desilierit in terram.
 Is enim haud ignarus mali, didicit miseris succur-
 rere. ADOL. Pauli nulla erat mentio. ANTO. Pre-
 cabantur interim? ADOL. Certatim. Alius cane-
 bat, Salve regina: alius, Credo in Deum. Erant qui
 peculiâres quasdam preculas habebant, non dissimi-
 les magicis adversus pericula. ANT. Vt adfectio fa-
 cit religiosos! rebus secundis nec Deus, nec divus
 quispiam nobis venit in mentem. Quid tu interea?
 Nulli divorum nuncupabas vota? ADOL. Nequa-
 quam. ANT. Cur ita? ADOL. Quia non paciscer
 cum divis. Quid enim est aliud quàm contractus iux-
 ta formulam? Do, (q) si facias: aut faciam, si fa-
 cias: dabo cererem, si enatem: ibo Romam, si servos.
 ANTO. At implorabas alicuius divi praesidium?
 ADOL. Ne id quidem. ANT. Quam ob rem au-
 tem? ADOL. Quia spatiosum est cœlum. Si cui divo cõ-
 mendaro meam salutem, puta, S. Petro, qui fortas-
 sis primus audiet, quòd adstet ostio, prius quàm ille
 conveniat Deum, prius quàm exponat causam, ego
 iam periero. ANT. Quid igitur faciebas? ADOL.
 Rectâ adibam ipsum patrem, dicens: Pater noster
 qui es in cœlis. Nemo divorum illo citius audit, aut
 libentius donat, quod petitur. ANT. Sed interea non
 reclamabat tibi conscientia? Non verebaris appel-
 lare patrem, quem tot sceleribus offenderas? ADOL.
 Vt ingenuè dicam: deterrebat nonnihil conscientia:
 sed mox recipiebam animum, ita mecum cogitans:
 Nullus est pater tam iratus filio, quin si videat eum
 pericli-

periclitantem in torrente aut lacu, capillis arreptū eiiciat in ripam. Inter omnes nullus se tranquillus agebat, quā mulier quaedam, cui erat infans in sinu, quem lactabat. ANTON. Quid illa? ADOL. Solā nec vociferabatur, nec flebat, nec sollicitabatur, tantum complexa puellum precabatur tacitē. Interea dum navis subinde illideretur vado, nauclerus metuens ne tota solveretur, rudentibus eam cinxit à prora & à puppi. ANTON. Omiserā presidia! ADOL. Interim exoritur quidam sacrificus senex, annos natus sexaginta, nomen erat Adamus: is abiectis vestibus usque ad indusium, abiectis etiam ocreis & calceis, iussit ut omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio navis, concionatus est nobis ex Gersono quinq; veritates de utilitate confitendi, hortatus omnes, ut se quisque prepararet & vitæ & mortis. Aderat & Dominicanus quidam. his confessi sunt, qui volebant. ANTON. Quid tu? ADOL. Ego videns omnia plena tumultus, tacitē confessus sum Deo, damna apud illum meam iniustitiam, & implorans illius misericordiam. ANTON. Quo migraturus, si sic perisses? ADOL. Hoc committebam iudici Deo. Neq; enim volebam esse mei ipsius index: tamen bona quadam spes interim habebat animum meum. Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus. Paret, inquit, se quisque: nam navis non erit nobis usui ad quartam horæ partem. Iam enim locis aliquot convulsa hauriebat mare. Paulo post nauta renunciat nobis, se videre procul

R. turrins

turrim sacram, adhortās, ut Divi quisquis esset eius templi præsēs, auxilium implorarem. Pro-cumbunt omnes, & orant ignotum Divum. ANTON. Si nomine compellassetis eum, fortassis audisset. ADOL. Erat ignotum: Interim nauclerus quantum potest eò navem dirigit iam laceram, iam undique combibentem undas, ac planè dilapsam, ni rudintibus fuisset subcincta. ANTO. Dura rerum conditio. ADOL. Eò profecti sumus, ut eius loci incolæ prospicerent nos periclitantes, ac procurentes ceteratim in extremum littus, sublati togis, & galeris in lanceas impositis, invitabant ad sese: ac iactatis in cælum brachiis significabant se deplorare nostram fortunam. ANTON. Expecto, quid evenerit. ADOL. Iam mare totam navim occuparat, ut nihilo tutiores essemus futuri in navi, quam in mari. ANTON. Hic ad sacram anchoram confugiendum erat. ADOL. Imò ad miseram. Naute scapham exonerant aquâ, ac demittunt in mare. In hanc omnes sese conantur conicere, nautis magno tumultu reclamantibus, scapham non esse capace tantæ multitudinis, arripere sibi quisq, quod posset, ac nataret. Res non patiebatur lenta consilia: alius arripit remum, alius contum, alius alvum, alius stulam, alius tabulam, ac suo quisq, presidio nitens, committunt se fluctibus. ANTO. Quid interim accidit illi muliercule, quæ sola non emulabat? ADOL. Illa omnium prima pervenit ad littus. ANTON. Quis potuit? ADOL. Imposueramus eam repandæ tabule, & sic alligaveramus, ut non facile posset decidere:

cidere: dedimus illi tabellam in manum, quâ vice
 remi uteretur: ac benè precantes, exposuimus in flu-
 ctus, conto protrudentes, ut abesset a navi, unde erat
 periculum. Illa levâ tenens infantulum, dextrâ re-
 migabat. ANT. O viraginem! ADOL. Cùm iam
 nihil superesset, quidam avulsit ligneam statuam
 virginis matris iam putrem atq; excavatam à (r)
 soricibus, eamq; complexus cœpit natâre. ANT. Sca-
 pha pervenit incolumis? ADOL. Nulli priùs perie-
 re. Porro triginta sese in eam coniecerant. ANTON.
 Quo malo fato id factum est? ADOL. Priusquàm
 posset se liberare à magna navi, illius vacillatione
 subversa est. ANT. O factum malè! Quid tum? AD.
 Ego dum aliis consulo, penè perieram. ANT. Quo pa-
 to? AD. Quia nihil supererat aptum natationi. AN.
 Illic sebera fuissent usui. AD. In eo rerum articulo
 maluissimè vile suber, quàm candelabrum aureum.
 Circumspecti tandem venit in mentem de ima
 mali parte: eum quoniam solus eximere non poterã,
 adscisco socium: huic ambo innixi, committimus nos
 mari, sic ut ego dextrum cornu tenerem, ille levum.
 Dum sic iactamur, sacrificus ille concionator nau-
 ticus, medium iniecit se in humeros nostros: erat au-
 tem ingenti corpore. Exclamamus, quis ille tertius?
 Is perdet nos omnes. Ille contrâ placidè: Sitis, in-
 quit, bono animo, sat spaciū est. Deus aderit nobis.
 ANTON. Cur ille tam serò cœpit esse natator?
 ADOL. Imò faturus erat in scapha unâ cum Do-
 minicano: (nam omnes hoc honoris illi deferebant)
 sed quanquam erant invicem confessi in navi, ta-

men oblitus nescio quid circumstantiarum, rursus ibi in ora navis confitentur: & alter alteri manum imponit, interim scapha perit. nam hæc mihi narravit Adamus. ANTON. Quid ælum est de Dominicano? ADOL. Is, ut idem narrabat, imploratâ divorum ope, abieclis vestibibus, nudum se commisit natationi. ANTO. Quos divos invocabat? ADOL. Dominicum, Thomam, Vincentium, & nescio quem Petrum: sed inprimis fidebat Catharina Senensi. ANTON. Christus illi non veniebat in mentem? ADOL. Ita narrabat sacrificus. ANTON. Melius enataffet, si non abiecisset sacram cucullam: eâ depositâ, qui potuit illum agnoscere Catharina Senensis? Sed perge narrare de te. ADOL. Dum adhuc volveremur iuxta navim, arbitrio fluctuum huc & illuc se volventem, clavus illius fregit femur eius, qui tenebat levum cornu. Sic ille revulsus est. Sacrificus precatus illi requiem æternam, successit in locum illius, adhortans me, ut magno animo tener cornu meum, ac strenuè moverem pedes. Interim potabamus multum aquæ falsæ. Adcò Neptunus nobis non balneum tantum salsum, sed potionem etiam salsam temperârat, quanquam sacrificus ei rei monstraret remedium. ANTON. Quod obsecro? ADOL. Quoties unda nobis occurreret, ille opposuit occipitium, ore clauso. ANTON. Strenuum senem mihi narras. ADOL. Vbi iam aliquandiu sic natantes non nihil promovissemus, Sacrificus (quoniam erat miræ proceritatis) bono, inquit, es animo, sentio vadum. Ego nō ausus tantum sperare felicitatis,

citatis, longius, inquam, absumus à littore, quàm ut
 vadum sperandum sit. Imò, inquit, sentio pedibus
 terram. Est, inquam, fortassis è scriniis aliquod, quod
 huc devolvit mare. Imò, inquit, sculptu digitorum
 planè sentio terram. Cum adhuc aliquandiu natas-
 semus, ac rursus sentiret vadum, Tu fac, inquit,
 quod tibi videtur factu optimum: ego tibi cedo ma-
 lum totum, & vado me credo: simulq; expectato flu-
 elum decessi, pedibus sequutus est quanto potuit
 cursu. Rursus accedentibus undis, utraque manu
 complexus utrunque genu obnitebatur fluctui, oc-
 cultans sese sub undis, quemadmodum solent mergi
 & anates: rursus abeunte fluctu, promicabat &
 currebat. Ego videns hoc illi succedere, sum imita-
 tus. Stabant in arena, qui porrectis inter se prelon-
 gis hastilibus, fulciebant sese adversus impetum
 undarum, viri robusti, & fluctibus adsueta, sicut
 ultimus hastam porrigeret adnatanti. Eà contactâ,
 omnibus in litus sese recipientibus, tuto pertraher-
 batur in siccum. Hac ope servati sunt aliquot.
 ANTON. Quot? ADOL. Septem; verum ex his
 duo soluti sunt tepore, admoti igni. ANTON.
 Quot eratis in navi? ADOL. Quinquaginta octo.
 ANTON. O seculum mare! saltem decimis fuisset
 contentum, quæ sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto
 numero tam paucos reddidit? ADOL. Ibi experti
 sumus incredibilem gentis humanitatem, omnia
 nobis mirâ alacritate suppeditantis, hospitium, i-
 gnem, cibum, vestes, viaticum. ANTON. Quæ gens
 erat? ADOL. Hollandica. ANTON. Ista nihil

R 3 huma-

humanius, quum tamen feris nationibus cincla sit. Non repetes, opinor, posthac Neptunum. ADOL. Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem. ANTON. Et ego malim audire tales fabulas, quam experiri.

(a) Ex abrupto incipit colloquium more comœdiarum. (b) Id est, quæ nonnihil habeat lucis. (c) Vide Plin. lib. 20. ca. 17. (d) *forti* sunt tabulata navis ac veluti rectum. (e) *Verrucæ*, id est, tubercula. Sic Cato, ni fallor collem *Verrucam* appellavit. (f) Scythicam concionem. i. *duram*: vide proverb. (g) Alludit ad illud Plinii: *Maximum telum necessitas*. Rursum ad illud: *τῇ αἰδῶν καὶ δὲ τοῖς τοῖς πολεμικοῖς* (h) *Decidere*, est pacisci portione rerum, ut reliqua maneant salva. (i) *Amicus* opibus, pro adamatis. (k) Semper nau-
tæ finguntur immanes. Quale est elementum tales sunt & illi. (l) Nam Itali magno stomacho *barbarum* vocant quicquid est peregrinum. (m) Quod est culmorum, tra-
xit ad instrumentum navis. (n) Ea natura est *oles*, ut le-
cem adferat, ac tranquillet omnia, etiam mare, quo non
aliud elementum implacabilius. (o) *Auctio* venditionis
genus, in quo à licitantibus intenditur pretium. (p) *Be-
tæ* vulgari ioco dicuntur crassi. (q) Formulæ sunt con-
tractuum, quos Iureconfulti vocant innominatos. (r) *Se-
rex* animal quod vulgo *glirem* vocant. Theodoretus in
historia Ecclesiastica refert, cum Christiani Serapidis i-
dolum, quod grande habebatur Alexandriæ, securibus
frangerent, & caput eius abstulissent, greges foricorum in-
de procurrisse.

D I V E R S O R I A. *Coll. H. v. p. 270*

BERTVLPHVS, GVLIELMVS.

BERT. *Cur ita visum est, plerisque biduum aut
triduum commorari Lugduni? Ego semel iter in-
gressus, non conquiesco, donec pervenero, quò con-
sistui.*